



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Præceptum Lotharij Regis fratris Karoli quod fecit Ecclesiæ sancti Stephani  
Lugdunensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**



*PRÆCEPTVM LOTHARII  
Regis fratris Karoli quod fecit Ecclesiæ san-  
cti Stephani Lugdunensis, & dicit quòd Ca-  
duliacum villa, quæ est in mandamento de  
Vireu, in pago Salmoriacensi est.*

**I**N nomine omnipotentis Dei & Salvatoris no-  
stri Iesu Christi. Lotharius divina præveniente  
clementia Rex. Expedi regiæ celsitudini ita divinis  
cultibus operam dare quatenus Ecclesiarum Dei jura  
ac privilegia pristinis temporibus justè & rationabi-  
liter ordinata sua protectione juxta Domini volunta-  
tem conservet, & si qua cæca cupiditate inordinatè  
ablata prospexerit, quantocius pro nomine refor-  
met; ut & sanctorum intervenientibus meritis æter-  
næ retributionis præmium acquirat, eos etiam qui-  
bus ecclesiastica jura commissa sunt sibi devotiores  
reddat. Quocirca omnium fidelium sanctæ Ecclesiæ  
nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum no-  
verit utilitas emolumento seu etiam propter devotis-  
simam famulationem Remigij Lugdunensis Ecclesiæ  
reverentissimi Archiepiscopi restituimus per nostræ  
auctoritatis præceptum Ecclesiæ sancti Stephani  
Lugdunensis villas has, Cachiliacum videlicet in co-  
mitatu Salmoriacensi, & Liviam in pago Viennensi,  
quas pridem bonæ memoriæ Karolus gloriosus Rex  
germanus noster præfatæ Ecclesiæ justa ratione sua  
regali auctoritate reformaverat, sed nos postmo-  
dum pro quadam necessitate illas in beneficium con-  
tuleramus. Quod omnino non rectè factum fore  
cognoscentes, hos nostræ auctoritatis apices fieri  
censuimus, per quos memoratas villas præfatæ casæ  
Dei reformamus, quatenus nostris futurisque tem-

Circa annum  
865.



poribus absque cuiuslibet subtractione in potestate Pontificum ejusdem Ecclesie permaneant, ut Deo largiente Præsules ac clerus ejusdem casæ Dei pro anima genitoris nostri ac genitricis seu fratris nostri Karoli gloriosi Regis necnon & nostra Domino attentius preces assiduas fundere studeant. Ut autem hæc nostræ restitutionis auctoritas nostris futurisque temporibus inconvulsa permaneat firmitatemque omnem obtineat, manu propria illam roboravimus, & anuli nostri impressione insigniri iussimus.

### KAROLI III. IMP.

*Præceptum pro Ecclesia Lugdunensi, datum ad deprecationem Liutardi Episcopi Vercellensis & Bernardi Marchionis.*

Hæc carta, quæ est de Ecclesia sancti Stephani Lugdunensis, dicit quod hæ villæ, Colonicas, Filtiliacum, Caduliacum, quæ sunt in mandamento de Vireu, in pago Salmoriacensi sunt & in episcopatu Gratianopolitano.

Anno Christi  
835.

**I**N nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri Iesu Christi. Karolus divina ordinante providentia Imperator augustus. Si fidelium nostrorum raris petitionibus aures nostræ pietatis accommodamus & eorum utilitatibus consulimus, imperiali celsitudini operam damus, & ob id eorum animos nostræ fidelitati promptiores exhibemus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesie & nostris præsentibus scilicet atque futuris quoniam ad deprecationem dilecti nobis Liutardi venerabilis Episcopi & Bernardi illustrissimi Marchionis concessimus Ecclesie beatissimi protomartyris Stephani Lugdunensis, cui venerabilis Aurelianus Archiepiscopus